

ceres duci, alios verò civitate ademta proscriptos solum vertere iussit. Quorum exilium Lutherus literis in publicum emisit ita consolatus est, ut benè eos de rebus suis sperare juberet, prædiceretquè, neque illos ad multum tempus cum hac fortuna conflictaturos esse, neque principem Georgium diu superstitem fore. Hac itaque pœna, qui doctrinam cœlestem palam profiterentur, affiicti fuere: Qui verò diversum quidem à Pontificiis sentirent, neque tamen patefacere auderent, si ante extremum halitum nullum accersendo sacrificulum aut Cucullionem semetipsi in morte aperuissent, eorum funera ceremoniis usitatis non fuerunt ducta, sed ignominiosè elata, & in locis defossæ infamibus. Eodem tempore Baro Ernestus Schönburgius apud ducem Georgium & autoritate & consilio facilè princeps, in gravissimum morbum inciderat. Is, quod vir gravis esset, & salutem æternam principis gratiæ anteponeret, funeris deformitatem nihil veritus à patrono petebat, ut voluntate ejus sibi liceret mysterio sacrae cænæ, ad præscriptum à JESU CHRISTO modum imitari. Ad hanc petitionem nullo dato responso Schönber-

ber-